



Danskernes Historie Online

Danske Slægtsforskeres Bibliotek

Dette værk er downloadet fra Danskernes Historie Online

Danskernes Historie Online er Danmarks største digitaliseringsprojekt af litteratur inden for emner som personalhistorie, lokalhistorie og slægtsforskning. Biblioteket hører under den almennyttige forening Danske Slægtsforskere. Vi bevarer vores fælles kulturarv, digitaliserer den og stiller den til rådighed for alle interesserede.

Støt Danskernes Historie Online - Bliv sponsor

Som sponsor i biblioteket opnår du en række fordele. Læs mere om fordele og sponsorat her: <https://slaegtsbibliotek.dk/sponsorat>

Ophavsret

Biblioteket indeholder værker både med og uden ophavsret. For værker, som er omfattet af ophavsret, må PDF-filen kun benyttes til personligt brug.

Links

Slægtsforskernes Bibliotek: <https://slaegtsbibliotek.dk>

Danske Slægtsforskere: <https://slaegt.dk>

INDBYDELSESSKRIFT

TIL

DE OFFENTLIGE AARSPRØVER

I

STATSSKOLEN I RANDERS

I JUNI OG JULI 1914.

Efterretninger

om

Statsskolen i Randers

1913—1914.

Indbydelsesskrift

til Skolens offentlige Aarsprøver i Juni og Juli 1914.

Testimonia academica

udstedte af Rektorer ved Randers lærde Skole

1842—1851.

Med Indledning og Noter

af

V. Boëtius.

Testimonia academica

udstedte af Rektorer ved Randers lærde Skole
1842—1851.

Først ved den Ordning af det højere („lærde“) Skolevæsen, der 1850 gennemførtes af Joh. Nic. Madvig som Kultusminister, blev det bestemt, at Studentereksamen („*examen artium*“) skulde afholdes ved Skolerne (første Gang 1853). Inden den Tid havde de lærde Skoler dimitteret til Universitetet i den bogstavelige Forstand, at de unge Mennesker afgik fra Skolen efter Sommerferien (i September Maaned) for at underkaste sig *examen artium* ved selve Universitetet, hvor de eksamineredes af Professorerne. Det var da Skik, at hver Artiumskandidat medbragte fra Skolen et Dimissionsbrev eller Artiumsbrev (*testimonium academicum*), udfærdiget paa Latin af Skolens Rektor. Det indeholdt nogle ganske nødtørftige Oplysninger angaaende Fødsel, Familie og *vita ante acta* og i øvrigt en i mere svævende og almindelige Udtryk holdt Karakteristik af den unge Musasøn. Af saadanne *testimonia academica* indeholder Randers Skoles Arkiv en lille Samling, udstedt i Tiaaret 1842—1851. Den forelægges her forsynet med kortfattede personalhistoriske og enkelte sproglige Oplysninger (mest Oversættelser).

De to første Aars Dimissionsbreve er udstedte af Rektor Bonaparte Borgen, f. 1798, Rektor ved Randers lærde Skole 1837—44 (Biogr. Lex. II, 523 f.; Rønne Progr. 1906, S. 17 f.); Testimonierne fra 1844—51 er forfattede af Rektor, *Dr. phil.* Carl Adolph Thortsen, f. 1798, Rektor ved Randers lærde Skole 1844—57 (Biogr. Lex. XVII, 296 ff.; Rønne Progr. 1906, S. 125 f.). Datidens Rektorer var jo stive Latinere; de skrev ikke blot Latin med en vis Færdighed, men paatrykte endog deres Sprog et vist personligt Stempel: man sporer tydelig en

Stilforskelse i Udfærdigelserne. Rektor Bonap. Borgens er af de to den, der svæver højest oppe; han ynder at citere Klassikerne — hans Latin er ciceroniansk veltalende. Rektor Thortsen holder sig med en *Cornelius Nepos's Jævnhed* nærmere ved Jorden. Han benytter flere direkte Oplysninger (Fødselsdag og -aar, der savnes hos Rektor Borgens), men kan i øvrigt, naar han er i Stemning, ogsaa anslaa en højtideligere, salvelsesfuld Tone. Hans Testimonier bliver dog efterhaanden noget kortfattede — man mærker, at Genren er ved at gaa af Mode; Gennemførelsen af „den Madvigske Skoleordning“ var allerede stærkt paa Tale 1844—45 — en ny Tid gryr!

Som Sidestykke til disse to Rektors *testimonia academica* har det sin Interesse at se et, to Menneskealdre ældre, *testimonium academicum*, udstedt af Rektor, *Mag. O. Worm* i Horsens 1789. Hans Stil er udpræget forskellig fra de to andres, stærkt paavirket af *Vergil*, *Horats*, *Persius* og *Plinius*.

Man ser tydelig Udviklingen: Worm—Borgen—Thortsen!

I.

Rektor B. Borgens.

1842.

I.

Testimonium Christiani Preetzmann.

(Christian Preetzmann, S. af Kammerjunker J. Preetzmann, Lille Himmelstrup, Viborg Stift. F. 8/2 1822; cand. iur. 1850 haud. Herredsoged. † Aug. 1893).

Professoribus universitatis Hauniensis.

Quum minime facilis sit, sed difficultatis molestiaeque plena provincia nostra, qui in scholis juventuti erudiendae operam damus, nemini, opinor, mirum erit, si, quicquid nobis contigerit a discipulis, in quo videamur nobis animadvertere felicis ingenii probaeque voluntatis documentum, id utraque manu, ut ajunt, arripimus, ex eoque confidimus proventuram esse bonae frugis mercedem, qualis debetur assiduis magistrorum curis atque laboribus. Hujus generis mercedem non exiguum obtulit nobis adolescens honestissimus, quem his litteris etiam atque etiam vobis commendamus, Christianus Preetzmann, natus patre ante hos paucos menses inopinata morte

suis erepto, viro illustrissimo Joanne Preetzmann, cubiculario secundi ordinis¹⁾, praedioli Himmestrup, quod in diœcesi²⁾ Viburgensi est, tum possessore. Etenim benigna natura contulit in nostrum³⁾ ingenii dona tam opulenta, ut, quantum quoque tempore voluit, tantum efficere posse videretur. Itaque quum quaedam disciplinae ex iis, quae in scholis traduntur, minus ei arriderent⁴⁾, non refugiebat ille quidem earum tractationem, — neque enim id aut consilii ratio sinebat, aut ipsius passa voluntas est — sed desiderabatur vel studii constantia, vel accurata illa diligentia, quae in singulis partibus bene examinandis unoque deinde conspectu comprehendendis⁵⁾ aequè conspicitur. — At vero in iis disciplinis, quas ipse velut in deliciis habuit, tam sedulo laborantem vidimus optimum adolescentem atque ita in dies proficentem, ut minime dubitemus, quin vobis quoque, viri perillustres! scientiam probatus sit satis laudabilem; quo in genere praecipue loquimur de linguarum sive antiquarum sive recentiorum studio, quod ille amplexus est amore quodam singulari. Transferet jam hunc amorem ad vestras scholas⁶⁾, atque ita transferet, ut, suscepto novo atque adeo ampliore cognoscendi consilio⁷⁾, universam litterarum vim⁸⁾ perspicere conetur atque magis quotidie discat, quam firmo quamque necessario vinculo inter se conjunciae teneantur. Neque haec spes frustra erit; est enim in carissimo discipulo tanta animi probitas cum veri atque recti sensu consociata, ut et omnia honestatis officia exsequi velit, et magnam laudis partem in eo positam esse intelligat, si studia non leviter attingat, sed cognitionem appetat, quantum fieri possit, plenam atque perfectam.

1) Kammerjunker (1849, XL). 2) Stift. 3) „vor unge Mand her“ (III: *hic noster*). 4) = *placerent*. 5) Helhedsopfattelse, „Overblik“. 6) Foredrag, Forelæsninger. 7) Studieplan. 8) Betydning.

II.

Testimonium Laurentii Petri Blichert.

(Lars Peter Blichert, S. af Købmand H. Blichert, Randers. F. 28/11 1824. Cand. med. 1850 laud. Distriktslæge. † 16/1 1867).

Professoribus universitatis Hauniensis.

Valedixit scholae nostrae civitatem academicam petiturus adolescens non uno nomine nobis dilectus Laurentius Petrus Blichert, qui patrem habuit Joannem Blichert, mercatorem quondam in hoc oppido honestissimum, ante aliquot annos vita

defunctum. Quod leges fieri jubent, ut dimissis a nostra institutione discipulis litteras ad vos demus, quae iis pro testimonio sint, id hoc tempore tanto facimus libentius, quum feliciter acciderit, ut testimonii dictio eadem esse possit vera commendatio. Nam ut brevi complectar ea, quae in optimo discipulo maxime nobis placuerunt, est in eo singularis quaedam animi aequabilitas, quum in vita ejus universa, tum in studiis exercendis conspicua. — Itaque non facile a se impetravit id, quod in quibusdam adolescentibus litterarum studiosis aegre animadvertisimus, ut diversam quasi voluntatem ad diversas afferant disciplinas; sed, quum in uno aliquo genere operam collocasset satis probabilem, ceterarum vim¹⁾ minime ignorabat neque ab iis recedebat invitus²⁾. Quamquam igitur desiderabamus in nostro aliquoties ferream illam, quam vocant, perseverantiam et nunquam languescentem assiduitatem, ex iis tamen, quae supra diximus, non difficile est conjicere, quantum ille apud nos proficerit; nam ita usus est in universum ingenii dotibus, quas non parca manu tribuerat ei natura, ita nobis magistris ac monitoribus operam dedit, ut jam suo jure flagitare possit, ut vobis in disciplinam tradatur. — Jam vero ex eadem illa, quam in nostro laudavimus, aequabili animi conformatione³⁾ profecta est alia virtus, vero cuique ingenii humani aestimatori grata atque jucunda: dicimus autem⁴⁾ verecundiam et temperantiam et modestiam, in qua nos quoque — ne solum M. Tullium⁵⁾ ita putas sensisse — quasi quandam ornatum vitae cerni judicamus. Quae quum ita sint, fidei vestrae atque curae diligenter commendamus adolescentem nobis carissimum, eundem vero ingenii felicitate, animi integritate, morum elegantia⁶⁾ dignum, quem in numerum suorum recipiat universitas nostra, exquisitae doctrinae atque omnis elegantioris cultus alma nutrix.

¹⁾ I, 8. ²⁾ „og holdt sig ikke uvillig borte fra dem“. ³⁾ sml. ovfr.: *singularis quaedam animi aequabilitas*. ⁴⁾ jeg mener; „nemlig“. ⁵⁾ Marcum Tullium Ciceronem; *de officiis* I, 27, 93: (*honestas*), *in qua verecundia et quasi quidam ornatus vitae, temperantia et modestia omnisque sedatio perturbationum animi et rerum modus cernitur*. Jfr. ogsaa *pro S. Roscio* 51, 149: *pudor, qui ornat aetatem*. ⁶⁾ „sædelig rene (pletfri) Karakter“ (*Tac. Hist.* III, 39; *Ann.* V, 8).

III.

Testimonium Jacobi Sidenii.

(Jacob Sidenius, S. af Seminarieforstander, Pastor N. Sidenius, Sognepræst til Lyngby og Albøge i Aarhus Stift. F. 3/3 1823. Cand. theol. 1848 haud I. Sognepræst. † 7/7 1876).

Professoribus universitatis Hauniensis.

Quod felix faustumque sit! mittimus ad vos adolescentem honestissimum, ante hos quattuor annos atque dimidium publicae scholae Randrusiensis institutioni traditum, jam vero, ut nobis quidem persuasum est, dignum, cui committantur jura civitatis academicae. Est ille Jacobus Sidenius, natus patre summe venerabili, Nicolao Sidenio, seminarii Lyngbyensis, quod in dioecesi Arhusensi est, moderatore, et in parochiis¹⁾ Lyngby atque Albøge sacrorum ministro²⁾. Illum igitur, antequam sistat se vobis explorandum, doctorum judicium benevolentiae commendatum esse volumus; quamquam videmur nobis jam suspicari, quale futurum sit vestrum de eo judicium. — Scilicet idem erit, quod nos semper tulumus de optimo discipulo. Sive enim de ingenio ejus quaeritis, est bonum et ad artium studia satis accommodatum; sive mores ejus in judicium vocantur, sunt quidem in discipulis nostris ii, qui aeque nobis in deliciis esse debeant; sed injusti essemus, si eorum omnium quemquam aut mentis placiditate³⁾, aut animi pietate, aut omni denique honestate huic nostro anteponendum esse duceremus. Atque haec quum ita sint, non attinet profecto quaerere, quantum operae in studia contulerit; nam bonam operam contulisse, quivis facile intelligit harum rerum idoneus a estimator, nec fides nobis derogabitur, quum, quod recto ille consilio rectaque voluntate suscepisset, id ei feliciter successisse non dubitamus affirmare. Sed prospicit jam campum illum latorem⁴⁾ et quasi arenam quandam, in quam studia ejus ex hoc tempore debeant excurrere, et prospicit laboris plenum atque sudoris, ut facile cui in mentem veniat quaerere, num ibi quoque futurus sit strenuus ac diligens litterarum cultor, honesto officio unice addictus. — Nos quidem futura praevidere non possumus; sed videmur nobis non falso augurari, cum certo speramus, semper eum memorem fore pristini consilii, ita ut in eo denique servando omnibusque viribus amplectendo videat sibi paratam esse laudem verissimam. Quare optimis votis prosequimur dilectissimum adolescentem, deprecantem in eum a deo optimo maximo omnia bona, felicia, fortu-

nata, qualia iis contingere cupimus, qui nobis ex animo grati sunt atque jucundi. —

¹⁾ Sognene. ²⁾ (Sogne)præst. ³⁾ blidt, elskværdigt Væsen, „godmodigt Sind“ (Borgens egen Oversættelse). ⁴⁾ Universitets-studiet.

IV.

Testimonium Pauli Høi Blicher.

(Povel Høi Blicher, S. af Pastor L. Blicher, Sognepræst til Sønderholm, Freilev og Nørholm i Viborg Stift. F. ^{28/3} 1822. Cand. theol. 1848 laud. Sognepræst. † ^{15/12} 1880).

Professoribus universitatis Hauniensis.

Novem anni sunt, quum in numerum discipulorum, qui in hac schola instituuntur, receptus est adolescens honestissimus, Paulus Høi Blicher, natus patre summe venerabili Laurentio Blicher, in parochiis Sønderholm, Freilev et Nørholm, quae in diœcesi Viburgensi sunt, sacerorum ministro. Quod exspectandum erat ex tanto annorum spatio in subselliis scholasticis consumpto, id noster, si non omnino, attamen non parum feliciter ad effectum adduxit. Qua de re vos, viri perillustres! sic habetote. Est in eo ingenii facultas tanta, quanta contigit paucis, ita ut ea, quae traduntur, non solum facile percipere, sed etiam percepta fidei memoria tenere et optime eloqui possit. — Sed accidit, quod nollemus accidisse adolescenti ceterum bono proboque, ut pugnaret in eo ingenii felicitas cum voluntatis inconstantia, cuius ille impedimenta non semper valuit superare. Bene quidem scimus, levitatis culpam non infrequentem esse annis junioribus, nec lubet cum nostro iniquius expostulare¹⁾, sed tamen illud, quod diximus, incommodum in causa fuit, cur non in omnes disciplinas aequam operam conferret, et serius justo ad finem propositum perveniret. Sed utut haec sunt, festinamus ad ea, quae in optimo adolescente omnino sunt laudabilia, et lactamur profecto, quod hae litterae vere tamen esse possunt commendaticiae. Neque enim ita unquam indulxit animi mobilitati, ut honestatis atque officii immemor esset, sed saepius se erexit, et suscepto fortiter meliore consilio redintegratisque viribus opus aggressus est ea, qua debuit, cura atque diligentia, quo factum est, ut per annorum decursum tantam assequeretur singularum disciplinarum cognitionem, quanta videri posset probabilis esse in eo, qui recipi se cuperet in civium numerum academicorum. Quid, quod unum atque alterum

genus complexus est amore quodam singulari, in eoque tales progressus fecit, quales qui maxime nobis probantur litterarum studiosi. Huc accedit commendatio adolescentis praecipua, animus purus et incorruptus, mite ingenium, pectus molioribus sensibus egregie aptum²⁾, ut persuasum habeamus, nihil ei in posterum magis curae cordique fore, quam ut optimis quibusque gratus sit et litteris operam impendat strenuam sibique honorificam.

¹⁾ gaa ubillig i Rette med. ²⁾ „et Hjerte i særlig Grad modtageligt for blidere Følelser“.

V.

Testimonium Jani Michaelis Petri Kragh.

(Jens Michael Peter Kragh, S. af Pastor P. Kragh, Sognepræst til Lintrup og Hjerting i Ribe Stift. F. 2/12 1820. Cand. theol. 1848 haud II. Sognepræst. † 19/12 1901).

Professoribus universitatis Hauniensis.

Decem anni praeterierunt, ex quo ad nos deductus est discipulus honestissimus, cui has litteras ad vos dedimus, Janus Michael Petrus Kragh, natus patre summe venerabili Petro Kragh, in parochiis Lintrup et Hjerting, quae in diœcesi Ripensi sunt, sacrorum ministro. Quod illi propositum fuit, ut, exacto aliquando tempore in scholæ spatiis consumendo, aditum sibi pararet ad civitatem academicam, id jam sperat se assecuturum, neque nos committendum esse putavimus, ut optimo adolescenti post tot annorum tirocinia¹⁾ denegaremus missionem²⁾, cuius eum non injuria profecto tenuit desiderium. Accipietis igitur, viri perillustres! hunc nostrum ea, qua soletis, clementia, et si qua in re minus vobis satisfecerit, quam et ipse vult et nobis pariter atque vobis optandum est, memores eritis, non omnia data esse omnibus, nec repudianda esse rectae voluntatis conamina, quae et ipsa possunt esse salutaria. -- Etenim quum non contigisset ei invidenda illa opulentioris ingenii facultas, cuius opportunitate usi nonnulli viam facili cursu emetiuntur, bene intellexit, quid sibi esset faciendum. Scilicet opus esse vidit forti virium contentionе, pertinaci studio, non intermisso labore, ut eo, quo animus ferebat, perveniret; quumque raro omnino a via proposita avocaretur, sed in suscepto consilio plerumque maneret, eo rem denique perduxit, ut jam non indignus censendus sit, qui, relictis scholæ subselliis, uberiorem scientiae copiam in auditoriis vestris studeat percipere³⁾). Atque haec

sufficiat monuisse de studiorum ejus ratione. Quum vero nemo nisi bene moratus ad sacra Musarum admitti debeat, scitote, esse in dilectissimo adolescente egregiam animi placiditatem atque modestiam, conjunctam illam⁴⁾ cum omni pietatis honestatisque sensu et morum castitate singulari, ita ut persuasum habeamus, fore eum harum virtutum commendatione aequae vobis carum, ac nobis fuit semperque erit. —

¹⁾ her om Skolegangen. ²⁾ = *dissmissionem*. ³⁾ *studeat percipere*, pleonastisk Udtryk i St. f. *percipiatur*. ⁴⁾ overflødig (som ved *ille quidem*; ix, 3).

1843.

VI.

Testimonium Joannis Teilmann.

(Hans Teilmann, S. af Pastor A. P. J. Teilmann, Sognepræst til Bøvling og Flønder i Ribe Stift. F. 10/11 1826. Cand. theol. 1848 haud I. † 27/10 1857).

Professoribus universitatis Hauniensis.

Ex iis, quos, confecto jam in schola nostra studiorum cursu, hoc anno ad altiores disciplinas colendas in academiam¹⁾ discedere jubemus²⁾, duo sunt fratres, honestissimi adolescentes, quorum minor est is, quem his litteris vobis commendamus, Joannes Teilmann, natus patre summe venerabili Andrea Petro Joanne Teilmann, in parochiis Bøvling et Flønder, quae in diœcesi Ripensi sunt, sacrorum ministro. Ille quum ante hos tres annos disciplinae nostrae traditus esset, videbamur nobis animadvertere in eo ingenium minime exiguum, sed bonum atque felix, et domestica patris institutione, qua ante id tempus usus erat, prudenter praeparatum. Neque temere a nobis tum judicatum fuisse, docuit triennium, quo apud nos fuit. Nam quod multi adolescentes faciunt, levitati et socordiae unice addicti, ut officio se satisfecisse putent, si in scholæ subselliis numerum impleant, otiosi videlicet et oscitantes sessores³⁾, id ille, scientiae atque omnis honestatis strenuus sectator, ita foedum esse ac turpe videbat, ut nihil esset, quod magis aversaretur. Hinc facile est ad intelligendum, quam studiorum rationem instituerit, quales progressus fecerit, qualis nunc vobis commendari possit. Etenim quum bene sibi conscientius esset consilii sui, neque illud unquam animo excidere pateretur, viam ingressus est proposito maxime accommodatam, et vigilando, laborando, meditando consecutus est id, ut ipsum non poeni-

teret, quantum in singulis disciplinis proficeret. Scilicet tantum profecit, ut jam videatur sibi suo jure appetere posse civitatem academicam, cuius honorem ut legitime consequatur, tradimus vobis, viri perillustres! discipulum optimum ea, qua par est, diligentia explorandum, et tanto libentius tradimus, quod minime dubitamus, quin academicis quoque doctoribus probaturus sit laudabilem illam, quam nos in eo amavimus, morum integritatem et ad diligens litterarum studium propensam voluntatem.

¹⁾ ɔ: universitatem. ²⁾ = dimittimus. ³⁾ „naar de blot fylder op paa Skolens Bænke, hvor de nemlig sidder og gaber uden at bestille noget“.

VII.

Testimonium Erasmi Julii Kirketerp.

(Rasmus Julius Kirketerp, S. af Kammeraad M. Kirketerp, Høgholm i Aarhus Stift. F. 1²/12 1823. Landmand, Amtsraadsmedlem (Grinderslevkloster). † 2³/6 1866).

P. u. H. Quod negat se in poësi videre Horatius¹⁾, quid aut studium sine divite vena, aut rude ingenium possit, id profecto in una arte²⁾ ab illo³⁾ positum transferri potest in studia litterarum universa. Hinc etiam doctoribus gratiore sunt ii discipuli, in quibus cernitur utriusque laudis⁴⁾ conjunctio, quam qui ita comparati sunt, ut earum alterutram in iis desideremus. Quod quidem ut hoc tempore liberet nobis commemorare, fecit adolescens honestissimus, cuius causa haec testimonii scriptio suscepta est, Erasmus Julius Kirketerp, natus patre illustrissimo Martino Kirketerp, consiliario camerae⁵⁾ et praedii rustici Høgholm, quod in diœcesi Arhusensi est, possessore. Est enim in illo nostro vis ingenii non mediocris, sed paene dicam praeclara et qualem in adolescentibus optimarum artium studiosis potissimum esse volumus; nam et intelligit prompte et intellecta memoria tenet firma atque capaci, et judicio instructus est satis felici. Ut vero tanta illa ingenii facultas minus appareret initio, quum nostra disciplina uti cœpisset, factum est eo, quod ille, puerili tum incuria ductus et verae utilitatis parum providus, nondum didicerat tanti, quanti aequum est, aestimare alteram illam virtutem, quae diligentia continetur strenua et accurata et nunquam intermissa. Sic anni aliquot praeterierunt, quum suo quidem tempore conficeret ille singula institutionis scholasticae spatia⁶⁾, necdum tamen certo nobis constaret, quales in eo sperari possent fructus studiorum. Tum

vero, quum et annis et voluntate corroboratus esset, subito magis intelligere cœpit, nihil posse divitis venae ingenium sine studio ac diligentia rude, sed alteram rem alterius opem poscere cum eaque conspirare amice⁷⁾). Inde igitur velut ex agro iterato⁸⁾ et fortius subacto⁹⁾ in dies se proferebat ex animo ejus major et plenior scientiae copia, ut nihil fere relinqueret, quod in eo amplius desideraremus, nunc vero dignus omnino nobis videatur, cui aditus pateat ad interiora Musarum sacra in alma nostra universitate. Denique quum mores quoque probaverit nobis lenes et placidos et faciles, jubemus hinc abire¹⁰⁾ discipulum nobis carissimum cum laude nostra et insigni commendatione, deprecantes a deo optimo maximo, ut contingat ei in honesto fortiter perstare et bene inchoata ad finem exoptatum feliciter perducere.

¹⁾ *de arte poëtica*, Ep. II, 3, 409 ff. — — *ego nec studium sine dñe vena, | nec rude quid possit, video, ingenium; alterius sic | altera poscit opem res et conjurat [var: conspirat] amice.* ²⁾ *ɔ: in poësi.* ³⁾ *Horatio.* ⁴⁾ *utriusque laudis* („Fortrin“): *studii venaeque divitis.* ⁵⁾ Kammeraad. ⁶⁾ Han blev ikke Oversidder i nogen Klasse; sml. *suo anno consulem fieri.* ⁷⁾ „er inderlig forbunden (forenet) med“. ⁸⁾ pløjet for anden (endnu en) Gang; *itero* 1. ⁹⁾ bearbejdet, gennempløjet (*Cic. Cato major XV*, 51). ¹⁰⁾ sml. vi, 2 *discedere jubemus.*

VIII.

Testimonium Ulrici Christiani Ludvigsen.

(Ulrik Christian Ludvigsen, S. af Oberstlieutenant A. P. Ludvigsen, Randers. F. 24/9 1824. † som Student 16/2 1845).

P. u. H. Laeta est profecto et paene invidenda sors magistri, si cui contingunt discipuli, qui uni probitati et honestati dediti nihil conentur, nihil velint, nisi quod vere utile sit atque laudabile. Ex hoc vero optimorum discipulorum genere est is, cui has litteras pro testimonio scripsimus, adolescens nobis carissimus *Ulricus Christianus Ludvigsen*, natus patre illustrissimo, ordinis Danebrogici equite Antonio Petro Ludvigsen, in legione equestri Jutica, quae in oppido Randrusia praesidium habet¹⁾, quondam turmae praefecto²⁾, nunc post emerita honorifice stipendia nomine et dignitate ornato eorum, qui locum a legionum praefectis obtinent secundum³⁾). Quodsi igitur primum de ingenio nostri quaeritis, vidimus certe in aliis alacrius atque

velocius, sed tamen bonum est omnino et docile et tradita praecepta memoria complectens satis felici. Atque ad hanc ingenii facultatem, cuius⁴⁾ quideim quanta sit quamque necessaria ad studia litterarum commendatio, nemo est qui nesciat, accedebat in illo alia opportunitas; neque enim, ut est apud Horatium⁵⁾, fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem cogitabat. — Nam quum ea consuetudo sit nonnullorum adolescentium, ut initio quidem fortiter in studia incumbant et spem sui injiciant non exiguum, deinde vero ex priori discendi ardore multum remittant et omnia postremo fluere atque dilabi patientur, nihil horum in illo fieri videbamus. Sed quum pedem intulisset in viam litterarum⁶⁾, primum leniter progressus est, ut nihil etiam certi de eo sperari posset; tum vero, quum magis adolesceret aetas, plus semper addidit studii atque laboris, et obtemperando, audiendo, auditaque fideliter domi commentando eo rem perduxit, ut afflueret ei⁷⁾ in dies auctior scientia ac locupletior. Jam vero de moribus ejus quid attinet plura dicere quam ea, quae supra velut in transcursu significavimus? Est enim in eo tanta modestia, tanta verecundia, tanta denique tamque insignis pietas, ut eorum, qui his laudibus vel maxime excellunt, nemini facile cedere videatur. Quae quum ita sint, officiose rogo⁸⁾, ut Christianum meum, quem equidem in deliciis habui, in sacram Musarum sedem admittatis, admissum vero cura vestra ac benevolentia dignum judicetis.

¹⁾ „ligger i Garnison“. ²⁾ Eskadronschef, Ritmester. ³⁾ Oberst-lieutenant. ⁴⁾ *cujus* gaar paa *ingenii facultatem*. ⁵⁾ *de arte poetica*, Ep. II, 3, 143 f. (om Homer): *non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem* | *cogitat*. ⁶⁾ „havde betraadt den studerende Bane (Studeringernes Vej)“. ⁷⁾ „han tilegnede sig“: ⁸⁾ *officiose*, paa Embeds Vegne; „anmoder jeg tjenstlig om“.

IX.

Testimonium Petri Teilmann.

(Peter Teilmann, Broder til H. Teilmann (vi). F. 5/12 1824. Cand. theol. 1847 haud. Adjunkt. Senere Landinspektør. † 8/3 1896).

P. u. H. Mittimus ad vos optimae spei discipulum, quem piis votis et bonis ominibus prosequimur abeuntem, Petrum Teilmann, cui pater est vir summe venerabilis Andreas Petrus Joannes Teilmann, in parochiis Bøvling et Flønder, quae in dioecesi Ripensi sunt, rerum sacrarum praefectus¹⁾. Est ille ex

duobus fratribus, qui hoc tempore scholae nostrae valedicunt, natu major, sed inde a primis tirociniis in aequam studiorum societatem receptum habuit alterum duobus annis minorem²⁾. De indole ejus, quantum quidem nobis licuit de ea judicare, sic habetote. Evenerunt ei naturae dona non mediocria, si quidem nos in optandis muneribus recte ponendum esse ducimus ingenium ad discendum aptum, consociatum illud³⁾ cum sano judicio et memoria non infideli. Atque hoc usus naturae minime malignae beneficio, quum et monitoribus commodum se praebaret neque unquam data opera⁴⁾ officium negligeret, fructus eruditionis percepit bonos ac salutares, et majores etiam percipisset, si semper in animo optimi adolescentis aequa firma constitisset voluntas. Nam accidit interdum, si recte vidimus, ut remissius ageret, quam par erat, neque tam in studiis assiduus esset et accuratus, quam vel debebat vel ipse aequum esse videbat; sed raro accidit, quum⁵⁾ parum caute vestigia servaret, ac ne tum quidem nisi ita, ut mox in viam se revocaret et renovatis viribus opus aggrediceretur. Jam igitur, quum eo processerit, ut doctorum scholas academicorum⁶⁾ cum intelligentiae fructu audire possit, non possumus a nobis impetrare, quin hunc nostrum curae vestrae commendemus, non frigide et negligenter, quasi aequo animo missum faceremus⁷⁾ discipulum laudabilem, sed ut eos commendare solemus, qui ex animo nobis cari sunt atque jucundi. Ergo, viri perillustres, accipite eum, qui vestris nunc auspiciis cupit militare, et amate, sicut nos fecimus, insignem adolescentis pietatem cum rara ingenii placiditate et vero honestatis studio egregie conjunctam.

¹⁾ = *sacrorum minister*. ²⁾ „men har fra Begyndelsen af fulgtes med sin to Aar yngre Broder“. ³⁾ v. 4. ⁴⁾ = *dedita opera*, med Vilje, forsætlig. ⁵⁾ = *ut*. ⁶⁾ Universitetslærernes Forelæsninger. ⁷⁾ = *(di)mitteremus* („vilde dimittere“).

X.

Testimonium Güntelbergi Abel.

(Güntelberg Abel, S. af Provst L. Abel, Sognepræst til Eltang og Vilstrup i Ribe Stift. F. 7/12 1822. Cand. theol. 1850 haud I. Sognepræst. † 8/1 1894).

P. u. H. Quinquennium est, quum scholae nostrae disciplina uti cœpit adolescens honestissimus, qui has litteras ad vos perfert, Güntelberg Abel, natus patre summe venerabili Leonhardo Abel, Praeposito¹⁾ et in parochiis Eltang et Vilstrup,

quae in diœcesi Ripensi sunt, sacrorum antistite²⁾), nec non ordinis Danebrogici equite. Ille quum prius institutus esset domi a patre, venit ad nos ita praeparatus, ut, si dehinc industriae nervos fortiter contenderet, videremur nobis augurari posse optimo adolescenti eventum studiorum satis prosperum atque secundum. Nam ingenio est, si non erecto³⁾) admodum aut fertili aut perspicaci, attamen docili et ad litteras percipiendas satis idoneo, cuius munera quantum pretium sit, quivis intelligit harum rerum peritus aestimator. Neque ille datam sibi a natura ingenii facultatem passus est incultam jacere atque contemptam, quamquam factum est interdum, ut minus acriter, quam opus erat, rem aggrederetur, quum, credo, primo adspectu difficiliorum esse putaret, quam ut viribus sibi tributis facile posset expediri. — Neque tamen, quod exspectandum erat ab adolescente bene morato, ita unquam animum abjecit, ut consilium suum ex oculis amitteret; sed quum nihil esse videret, quod aut suis gratius aut sibi laudabilius facere posset⁴⁾), quam si institutum studiorum cursum justo tempore conficeret, semper se erigebat et molestias fortiter superabat, quemadmodum mos est eorum, qui, praecepta secuti poëtae prudentissimi⁵⁾), sibi ipsi res, non se rebus subjungere conantur. Quid mirum? nam comparaverat sibi itineris socium nunquam fallacem, sed fidum semper et constantem, quem nemo frustra in auxilium vocavit; dicimus autem pium et dei reverentia imbutum animum, quo ille ornatus et nobis factus est in dies carior, et in vestra benevolentia locum sibi paratum videt gratum pariter atque honorificum. Itaque faustis omnibus prosequimur, vobisque, viri illustrissimi, ita commendamus discipulum nobis dilectissimum, ut par est commendare eum, quem deinceps quoque probitati et honestati et omni recto studio unice addictum fore certo confidimus.

¹⁾ Provst. ²⁾ = *rerum sacrarum praefecto = sacrorum ministro = oraculorum divinorum interprete* (1846, XXVII). ³⁾ livlig. ⁴⁾ sml. *Cic. pro S. Roscio* 18, 51 *in fine*. ⁵⁾ *Horatii; Ep. I, 1, 19: et mihi res, non me rebus subjungere conor.*

XI.

Testimonium Theodorici Christiani Blicher.

(Didrik Christian Blicher, Broder til P. H. Blicher (IV). F. 3/11 1823. Cand. theol. 1849 haud I. † 14/9 1858).

P. u. H. Si ingenii bonitas praecipuum quandam commendationem habet in iis, qui honorem petunt civitatis academicae,

non minimum profecto suffragiorum numerum reportabit¹⁾ is, cui has litteras ad vos dedimus, adolescens honestissimus Theodoricus Christianus Blicher, natus patre summe venerabili Laurentio Blicher, in parochiis Sønderholm, Freilev et Nørholm diœcessis Viburgensis sacrorum antistite. Videtur quidem huic judicio repugnare numerus decem annorum, quos opus erat illi in schola nostra exigere; sed qui hoc mirentur, ii vereor ut satis meminerint, quam diversa esse possit in diversis hominibus ingenii natura. Neque enim ejus praestantia in eo uno ponenda est, ut aliquis cito arripiat tradita, deinde vero citato cursu traditorum rationem reddat; sed etiam sedatis ac quietis naturis, si cursum cum illis aequare non possunt, aut sua tribuenda laus est, aut certe venia danda aequa atque justa. Scilicet ex hoc genere ist ille noster, quocum nolumus quemquam iniquo modo expostulare²⁾, si vel interdum nimia justo³⁾ animi tranquillitate speciem sibi contraxerit tarditatis cuiusdam ingenio ceterum felici parum respondentis. Sed nolumus in his morari, neque, si vellemus, justum esset; nam bonus ille probusque est omnino, neque profecto unquam contempsit officium, cuius quantum sit pretium, quanta dignitas atque adeo sanctitas sit, et nunc intellectum habet, et nunquam intelligere desinet. Itaque, ut revertamur ad id, quod initio diximus, tantum ille apud nos profecit, ut jam dignus censendus sit, qui, relictis nostris auditoriis, vobis in disciplinam tradatur et in scholis vestris percipiat majorem illam atque uberiorem cognitionem, cuius interpretes esse debent doctores academici. Atque profecto talem se futuris magistris et morum integritate et studii assiduitate probabit, ut ex ejus laude non solum academicae civitati, quam quum maxime cupit impetrare, sed etiam scholae, in qua eruditus est ad hoc tempus optimus adolescens, aliquid ornamenti reddatur.

¹⁾ (sml. *victoriam reportare*) = feret („omne tulit punctum“ Hor. Ep. II, 3, 343). ²⁾ iv, 1. ³⁾ formodentlig = *majore justo*.

II.

Rektor C. A. Thortsen.

1844.

XII.

Testimonium Johannis Holbek.

(Hans Holbek, S. af Proprietær Niels Holbek, Albek ved Hobro. F. $\frac{2}{10}$ 1825. Løjtnant. Saaret ved Kolding $\frac{23}{4}$ 1849; † faa Dage efter).

P. u. H. Mense superiore capessenti mihi munus scholae Randrusiensis regundae contigit, ut inter eos alumnos, qui vobis in disciplinam mox erant tradendi, haud paucos nanciserer, quorum et mores et doctrinae studia admodum viderentur probanda. Inter quos ordine primus erat Johannes Holbek, filius Nicolai Holbek, qui dominus est praedii Albek, siti prope oppidum Hobro. Natus est a. d. VI Non. Oct.¹⁾ a. MDCCCXXV. Mense Octobri a. MDCCCXLI in hunc ludum acceptus est, sed anno post a patre privatae disciplinae traditus. Denuo adscriptus est discipulis nostris mense Februario hujus anni. Jam quum omnibus scholae magistris vestrae institutioni maturus visus sit, a nobis abeuntem optimis votis prosequimur. Nam laudem semper meruit non minus singulari assiduitate, qua in litteris percipiendis versatus est, quam raro animi candore morumque suavitate. Quare quum bono ingenio bene culto et solidis scientiae fundamentis probe jactis ad altiora studia accedit²⁾, sperare licet fore, ut, si eodem modo perrexerit ingenuas artes amare, olim et de literis et de republica optime mereat. Quod faxit³⁾ Deus, omnium rerum moderator.

¹⁾ = (det almindeligere) *postridie Kal. Oct.* ²⁾ *sc. ille* (*hic*) *noster.* ³⁾ „bevirke“ ∵: „give“.

XIII.

Testimonium Gerhardi Holbek.

(Geert Marinus Holbek, Broder til foregaaende. F. $\frac{18}{12}$ 1826. Generalmajor i Artilleriet. † $\frac{31}{10}$ 1910).

P. u. H. Spero fore, ut scientiam in adolescenti admodum audabilem vobis probet, qui has literas reddet, Gerhardus Marinus Holbek, natus a. d. XV Cal. Januar. a. MDCCCXXVII, patre Nicolao Holbek, viro honestissimo, possessore praedii Albek in vicinia oppidi Hobro. Una cum fratre a. MDCCCXLI scholae Randrusensi commissus, sed post annum domesticae

institutioni¹⁾ redditus, abhinc octo menses curae scholæ nostræ iterum est demandatus. Nunc autem, quum dignissimus videatur, qui ex hac disciplina in academiam vestram mittatur optimarum artium studiis subtilius erudiendus, religiose vobis commendamus, quem, dum inter nos fuit, omnes omni laude et amore prosequendum judicarunt. A natura haud vulgaribus animi dotibus subornatus²⁾, ingenium summa industria ita excoluit, ut inter adolescentes optimae spei merito habeatur. Accedit, quod moribus est gratis, modestis, emendatis. Quod nisi spem de se conceptam frustratus fuerit, non dubium videtur, quin patriæ civibusque aliquando opera ejus utilissima sit futura.

¹⁾ = *privatae disciplinae* (xii). ²⁾ = *ornatus* (xiv).

XIV.

Testimonium Georgii Chr. Hobe.

(Jørgen Christopher Hobe, S. af Pastor F. Hobe, Sognepræst til Harring og Stagstrup i Aalborg Stift. F. 4/2 1827. Cand. philol. 1851 haud. † 16/7 1853 i Randers af Kolera).

P. u. H. Commendatione non vulgari dignus nobis visus est, quem, per integrum quinquennium disciplina scholæ Randriensis usum, nunc vobis instituendum committimus, Georgius Christophorus Hobe, natus pridie Non. Febr. a. MDCCXXVII patre plurimum reverendo Frederico Hobe, qui abhinc annos aliquot est mortuus, sacrorum autem minister fuit in parochiis Harring et Stagstrup, quae sunt in diœcesi Alburgensi. Adolescentis est ingenio valens idemque sanctissimus, non modo studiis deditus acriterque diligens, sed amabilissimis moribus ornatus; quibus virtutibus praceptorum animos ita sibi devinxit, ut fausta quaeque ei omnes appresentur. Neque dubitamus, quin et vobis suos in literis progressus explorantibus omnino satisfacturus sit et olim meritum fructum laudemque latus operae in artibus studiisque colendis religiose locatae.

XV.

Testimonium Richardi Hoff.

(Richard Theodor Hoff, S. af Pastor E. C. F. Hoff, Sognepræst til Vivild og Veilby i Aarhus Stift. F. 7/2 1824. Cand. philol. 1853 haud. Overlærer i Rønne. † 13/2 1887. Rønne Program 1906, S. 52).

P. u. H. Non diu equidem cognovi honestissimum adolescentem, qui has literas vobis reddet, Richardum Theodorum

Hoff; satis tamen videor intellexisse, dignum esse paeclaro testimonio, quod ei dederunt ad unum omnes paeceptores, qui diutius studiis ejus praefecti fuerunt. Natus est a. d. VII Id. Febr. a. MDCCCXXIV. Patrem habuit virum summe venerabilem Ernestum Carolum Fredericum Hoff, sacrorum ministrum in parochiis Vivild et Veilby, quae in diœcesi Arhusensi sunt. Ipse per septem annos alumnus fuit scholæ Randrusiensis neque unquam, quae erat ingenii bonitas et docilitas morumque probitas, aut negotium facessivit aut molestiam exhibuit pueritiae suae magistris, semper autem omnibus merito fuit carissimus. Quare aequum est ad vos proficiscentem optimis omnibus prosequi; quae omina non vana fore, spondent specimina ingenii et doctrinae coram nobis edita.

XVI.

Testimonium Caroli Ed. With.

(Carl Eduard With, S. af Justitsraad J. P. With, Herreds-foged i Bjerre og Hatting Herreder, Ribe Stift. F. ^{14/12} 1826. Cand. med. 1852 laud. S. A. Universitetets Guldmedalje. 1858 Dr. med. 1862 Overmedikus. 1864 Professor ved Universitetet. † ^{13/6} 1898. Biogr. Lex. XIX, 97 ff.).

P. u. H. Adolescens strenuus, quem per has literas vobis commendamus, Carolus Eduardus With, patrem habet virum illustrissimum Casparum Petrum With, regi a consiliis justitiae, judicem pagorum¹⁾ Bjerre et Hatting, qui in diœcesi Ripensi sunt. Natus est a. d. XIX Cal. Jan. a. MDCCCXXVII²⁾; anno autem MDCCCXXXIX magistris scholæ Randrusiensis in disciplinam est traditus, qua disciplina ita bene usus est, ut nunc dignus videatur, qui ad altiora studia colenda in academiam discedat. Quod ut rite fieri possit, testificor, eum, ingenio praeditum acri ac prompto, laudabiliter profecisse in iis literis, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet, praeterea ornatum esse iis moribus, quorum neminem pudeat honesto loco natum atque educatum; rogoque, ut eum, datis in publico artium examine eorum, quae didicerit, speciminibus, civitate donetis Universitatis Hauniensis.

¹⁾ Justitsraad, Herreds-foged. — Jesper (*Casparus*) Peter With, f. 1791, † 1854. Biogr. Lex. XIX, 102—106. ²⁾ = (det almindeligere) *postridie Id. Dec. a. MDCCCXXVI*; jfr. XII, 1.

XVII.

Testimonium Johannis Bruun.

(Johannes Bruun, S. af Pastor S. W. Bruun, Sognepræst til Bjerregrav, Aalum og Thanum (nuv. Taanum) i Viborg Stift. F. 26/4 1827. Cand. iur. 1853 haud. Byfoged. † 1912).

P. u. H. Probus adolescens, quem cum his literis ad vos mittimus, Johannes Bruun, natus est a. d. VI Cal. Majas a. MDCCCXXVII patre summe venerabili Severino Wedege Bruun, qui ante aliquot annos vita defunctus est, sed, dum in vivis fuit, sacrorum fuit minister in parochiis Bjerregrav, Aalum, Thanum, quae sunt in diœcesi Viburgensi. Inde ab a. MDCCCXXXVII alumnus fuit scholae Randrusiensis. Nunc, quum ex pueris excesserit et in literis ita sit versatus, ut ex academica quam [ex] scholastica institutione uberiores fructus percipere posse videatur, ad altiores disciplinas addiscendas in universitatem Hauniensem migrantem vestrae curae magnopere commendamus. Nobis quidem ingenium probavit ad optimas artes aptum, diligentiam laude dignam, mores ingenuos et modestos. Quo factum est, ut optime ei precemur optimeque de eo speremus.

XVIII.

Testimonium Augusti Carstensen.

(August Carstensen, S. af Proprietær Th. Carstensen, Gl. Ryomgaard, Aarhus Stift. F. 25/3 1823. Officer under Krigen 1848–50. Landmand. † 9/10 1894).

P. u. H. Qui has literas ad vos perferet, Augustus Carstensen, filius est viri honestissimi Thomae Carstensen, qui possidet praedium Ryomgaard in diœcesi Arhusiensi, a quo a. MDCCCXXXV huic literarum ludo commissus est studiendus. Natus est autem a. d. VIII Cal. April. a. MDCCCXXIII. Jam id aetatis juvenis quum cuperet tamquam in solem et pulverem¹⁾ ex nostris umbraculis procedere, hoc testimonium ei ex praescripto tribuendum censuimus. Ingenio est ad optimas artes satis habili, ad quasdam etiam majorem in modum²⁾ idoneo; neque defuit omnino diligentia. Quae quum ita sint, eos³⁾ in literis fecit progressus, ut et in examine vobis probari et postea bonum fructum ex institutione vestra capere posse videatur. Ad mores quod attinet, nihil est, quod in iis possit reprehendi. Rogamus igitur, ut eum bene accipere et humanitate vestra levare velitis.

¹⁾ *in solem et (atque) pulverem*, for at betegne den virkelige Kamp (i Retten) og Opræden i det offentlige Liv i Mod-sætning til *umbra (umbraculum*, især om Skolestuen, Skolen), (Talerens) Forberedelse hjemme eller i Skolen (Rhetorskolen). Altsaa billedeligt om Skuepladsen for en Virksomhed; her: om Universitetsstudiet. (*Cic. Brutus* 9, 37; *de legg.* III, 6, 14).
²⁾ „i en ganske særlig Grad“. ³⁾ = *tantos*.

XIX.

Testimonium Haraldi Neckelmann.

(Harald Neckelmann, S. af Justitsraad L. C. Neckelmann, Randers. F. ^{11/12} 1825. Premierlieutenant under Krigen 1848—50. Slesvigsk Jurist. Borgmester. † ^{28/1} 1890).

P. u. H. Inter eos discipulos, quos hoc anno ad vos mittendos censuimus, non infimum locum obtinet Haraldus Neckelmann. Natus est Randrusiae a. d. III Id. Decbr. a. MDCCCXXV, patremque habet virum illustrissimum Ludovicum Conradum Neckelmann, regi a consiliis justitiae¹⁾. Literarum initiiis a privatis magistris perceptis, postquam a. MDCCCXXXVI ludo nostro adscriptus est, ibi per octo annos iis disciplinis atque artibus, quae in scholis tractari solent, ita est institutus, ut nunc, quum satis in his pro aetate profecerit bonamque spem sui excitaverit, subtiliori institutioni, qualis vestra est, Professores amplissimi atque doctissimi! maturus nobis videatur. Possumus affirmare, eum ingenio esse ad discendum acerrimo, ut, modica diligentia adhibita, multa percipere memoriaque retinere possit, multa sua cogitatione assequi; quare, si omnes industriae nervos contendere voluerit, studia ejus nec ipsi nec civibus inutilia erunt. Neque ingenio tantum commendatur, sed moribus quoque, in quibus naturalis inest, non fucatus²⁾ nitor. Quae quum ita sint, oro, ut optimo adolescentulo studiisque ejus faveatis.

¹⁾ XVI, 1. ²⁾ farvet, sminket ♂: uægte, mods. *naturalis*, naturlig, medfødt ♂: ægte.

XX.

Testimonium Erasmi Windfeld.

(Rasmus Windfeld, S. af Pastor T. N. Windfeld, Sogne-præst til Skibsted og Lyngby i Viborg Stift. F. ^{10/11} 1825. Cand. theol. 1849 laud. Sognepræst. † ^{10/1} 1894).

P. u. H. Offert se vobis, ut in numerum civium vestrorum adsciscatur, Erasmus Windfeld, filius viri plurimum reverendi Termani Nicolai Windfeld, qui sacrorum antistes est in parochiis diocesis Viburgensis Skibsted et Lyngby. Natus est a. d. IV Id. Nov. a. MDCCCXXV, in scholam Randrusiensem receptus mense Octobri a. MDCCCXXXVII. Est adolescens bene moratus, frugi et modestus, in quo laudandus est animus ad optima quaeque paratissimus. Quod etsi assiduitate et industria magis quam ingenii acumine praestat, tamen, quum multum absit, ut adjumentis omnino careat a natura datis ad doctrinam comparandam, confidimus, ejus in literis profectus, quemadmodum nobis probati fuerunt, sic etiam vobis, Professores amplissimi et doctissimi! probatum iri, ipsumque adolescentulum nobis carissimum desideratam laboris mercedem a vobis vestrisque laudibus mox esse capturum.

XXI.

Testimonium Reinhardi Ch. With.

(Reinhard Christian With, Broder til C. E. With (xvi). F. 18/10 1824. Cand. iur. 1850 laud. Højesteretsassessor. † 1893. Biogr. Lex. XIX, 109 f.).

P. u. H. Reinhardus Christianus With, natus a. d. XV Cal. Nov. a. MDCCCXXIV, patrem habet virum illustrissimum C. P. With, regi a consiliis justitiae, judicem pagorum Bjerre et Hatting, qui in dioecesi Ripensi sunt. Ab anno MDCCCXXXIX disciplina et institutione usus est scholae Randrusiensis; unde discedenti has literas commendaticias ad vos dedimus, certo sperantes, ipsum vel diligentissima commendatione dignum se esse praestaturum. Quum neque ingenium ei desit neque defuerit industria, eam scientiam, qua fundamenti instar indigent studia academica, ita sibi comparavit, ut satis felicem exitum exspectare liceat laboris in literarum initiis consumpti. Ad mores quod attinet, nunquam, quod sciam, aut scholae magistris aut ceteris, qui vitae studiisque ejus moderandis præpositi fuerant, displicerunt; verum probitate atque honestate omnium benevolentiam semper et conciliavit sibi et conservavit.

XXII.

Testimonium Caroli Ferd. Lorentzen.

(Carl Ferdinand Lorentzen, S. af Regimentsdyrlæge H. Lorentzen, Randers. F. 9/12 1824. Faldt som Løjtnant ved Fredericia 6/7 1849).

P. u. H. Ante sex annos inter discipulos scholae Randru-siensis receptus est Carolus Ferdinandus Lorentzen natus a. d. V Id. Dcbr. a. MDCCCXXIV, filius viri optimi atque honestissimi Johannis Møllegaard Lorentzen, qui veterinarius est legionis equitum, quae Randrusiae in praesidio est collocata. Ingenio est non acerrimo illo quidem nec promptissimo, sed tamen ab artibus liberalibus neutiquam abhorrente; itaque¹⁾ operam dedit plerisque generibus earum literarum, quibus aetas puerilis optime instituitur, ut pectus jam habeat humanitatis studiis si minus plenum, at²⁾ tinctum atque imbutum. Quare, quum ad eam aetatem pervenerit, qua magis deceat inter académiae vestrae cives quam inter nostrae scholae alumnos versari, ipsaeque rationes domesticae ne volentem quidem apud nos morari amplius sinant, aequum videtur desiderio ejus hinc migrandi³⁾ cedere ipsumque curae vestrae commendare. Eoque minus detrectandum existimamus, quod in adolescente nostro justa causa inest, cur diligatur mosque ei geratur; est enim bonus, verecundus, sanctus, denique moribus omni ex parte laude dignissimus. Quodsi ei contigerit, ut vobis satisfaciat, non ipse tantum laetabitur, sed nos cum eo.

¹⁾ = et ita. ²⁾ = at tamen. ³⁾ o: forlade Skolen, di-mitteres.

XXIII.

Testimonium Andreæ Holm.

(Andreas Holm, S. af Kancelliraad N. D. Holm, Herredsfoged i Løve Herred, Sjælland. F. 9/1 1827. Cand. theol. 1850 haud I. Sognepræst. † 6/8 1871).

P. u. H. Qui has literas proferet, Andreas Holm, natus est a. d. V Id. Januari. a. MDCCCXXVII patre aliquot annis abhinc vita defuncto, Nicolao Ditlev Holm, viro illustrissimo, qui regi fuit a consiliis cancellorum. Nondum octavum aetatis annum egressus, publicae ludi nostri curae commissus est; nunc autem post integrum decennium hic¹⁾ consumptum dignus vide-tur, qui instituto itinere pergit inceptumque cursum literarium apud vos conficiat. Quod felix faustumque sit! Est adolescens bonus ac probus, satis assiduus ac diligens, ingenio praeditus neque absurdo²⁾ neque parum exculto. Quare juvat praedicere, eum aliquando, quum ad constantem aetatem pervenerit, virum fore utilem civibus et idoneum, cui publica munera mandentur. Id dum fiat, vos, Professores amplissimi et doctissimi! juvenem

institutione vestra erudiatis, paeceptis et admonitionibus regatis,
humanitate et benignitate recreetis ac firmetis!

¹⁾ i Randers Skole. ²⁾ *absurdus*, uskikket (til det, hvorom
Talen er); ubegavet; *ingenium haud absurdum*, „et godt Hoved“.

1845.

XXIV.

Testimonium Christiani Ehr. Lund.

(Christian Ehrenfried Lund, S. af Pastor N. B. Lund,
Sognepræst til Ø. Tørslev, Aarhus Stift. F. ^{28/5} 1825. Cand.
theol. 1851 laud. Adjunkt. Sognepræst. † ^{31/5} 1885. Rønne
Progr. 1906, S. 80).

P. u. H. Gratum mihi officium est per has literas magnopere vobis commendare optimum adolescentem Christianum Ehrenfried Lund, qui, postquam in schola nostra laudabilem literarum scientiam sibi comparavit, ad hanc augendam in academiam Hauniensem tamquam in melius et illustrius studiorum domicilium est migratus. Natus est a. d. V Cal. Jun. a. 1825 patre plurimum reverendo Nicolao Bay Lund, tum in parochia Brande, quae est in dioecesi Ripensi, postea in parochia diocesis Arhusiensis Østertørslev sacrorum ministro, quem hoc anno morbo absumptum pie luget. Cui quum nihil antiquius¹⁾ esset, quam ut liberi bene et ingenue educarentur et docerentur, filium natu maximum ipse et mature et summa diligentia ita literarum initias instituit, ut ingenium ejus docile et ad optimas artes aptum sollerti doctrina mirifice excoleret atque corroboraret. Quare quum puer a. 1839 secundae classi scholae Randusensis adscriptus esset, et omnibus praceptoribus omnino satisfecit et singulari assiduitate, cui a parvo assueverat, effecit, ut deinceps in altiores classes evectus semper inter discipulos optimae spei haberetur laudibusque ac praemiis dignissimus videatur. Est sane juvenis prudens, sanctus, verecundus, idemque literarum amantissimus. Quodsi fas est optima quaque de eo sperare, qui bonum ingenium justa disciplina perpolire gestiat, confido fore, ut, qui docilitate et morum suavitate nobis semper probatissimus fuit, ne vestra quidem approbatione et laude indignus unquam videatur, ut vobis ducibus eruditonem haud vulgarem sibi comparet, ut patriae aliquando literisque usui et ornamento esse possit. Quod faxit Deus O. M.²⁾.

¹⁾ vigtigere, mere magtpaaliggende. ²⁾ = *Optimus Maximus*. — *faxit*, XII, 3.

XXV.

Testimonium Johannis Chr. Nielsen.

(Hans Christian Nielsen, S. af Gaardejer N. Nielsen Hvostrup, Rostrup ved Hobro. F. ^{16/1} 1825. Kaptajn. † ^{12/11} 1866).

P. u. H. Raro mihi contigit, ut discipulum haberem, quo aequae delectarer, atque hoc delectatus sum juvne honestissimo, quem cum his literis ad vos mitto, Johanne Christiano Nielsen. Ita enim et ingenio valuit et discendi studio incensus fuit, ut, quaecunque ei tradita erant, celeriter atque avide ariperet tenacique memoriae plerumque mandaret; iisque¹⁾ moribus praeditus fuit, ut honestatis et decoris²⁾, vel nullo horizonte, natura studiosus et appetens videretur. Natus est ruri a. d. XVII Cal. Febr. a. 1825 patre Nicolao Nicolai Hvostrup, qui, dum in vivis erat, praediolum possidebat in pago Rostrup prope oppidum Hobro. Ubi quum aliquamdiu opus rusticum pro viribus aetatis fecisset, justum tandem ingenii aestimatorem nactus est virum plurimum reverendum C. M. C. Høgh, cuius cura et benignitate sublevatus atque adjutus prius elementa literarum humaniorum apud ipsum didicit, tum a. 1841 scholae Raudru-sensis disciplinae atque institutioni commissus est erudiendus. Nunc post quadriennium in optimis studiis laudabiliter ibi collocatum, certo spero fore, ut strenuus adolescens meritam laudem apud vos quoque consequatur et favore benevolentiaque vestra dignissimus judicetur. Quod si evenerit, non ipsi gratius erit, quam mihi ceterisque pueritiae ejus praceptoribus, quorum animos optimis artibus³⁾ sibi conciliavit.

¹⁾ = *et talibus.* ²⁾ af: *decor.* ³⁾ Egenskaber.

XXVI.

Testimonium Andreae Kragh.

(Anders Kragh, S. af Farver J. L. Kragh, Ebeltoft. F. ^{16/2} 1827. Cand. phil. † ^{21/1} 1877).

P. u. H. Adolescens rectissimis studiis atque optimis artibus praeditus, Andreas Kragh, cum diligentissima commendatione mea ad vos mittitur, ut in numerum civium vestrorum recipiatur. Natus est a. d. XIV Cal. Mart. a. 1827 patremque habet virum honestissimum, Johannem Lebring Kragh, oppidi Ebeltoft, ubi artem tintoriam exercet, civem. Inde a mense Octobri a. 1840 scholae Randrusensis alumnus ingenium probavit optimum et ad perdiscendum acerrimum, industriam assi-

duam, singularem morum modestiam ac continentiam; quare suo jure laudem sibi vindicat discipuli amore dignissimi et eximiam sane spem sui ostendit. Quae ne et me et ceteros praeceptores ejus fallat, faciat Deus omnia nutu suo regens. Vos autem, Professores amplissimi et doctissimi! rogo, ut eum ea humanitate atque benignitate excipiatis, qua decet adolescentulum levare ex umbra scholae in solem et pulverem¹⁾ timide procedentem, magis assuetum in libris haerere taciteque secum cogitare, quam in hominum frequentia versari, verecundia potius amabilem, quam fiducia sui confirmatum.

1) XVIII, 1.

1846.

XXVII.

Testimonium Erasmi Lund.

(Rasmus Lund, Broder til Chr. Ehr. Lund (1845, xxiv). F. 9/1 1827. Cand. theol. 1853 laud. Præst. † 1889. Biogr. Lex. X, 445 f.).

P. u. H. Anno superiore ad vos misi filium natu maximum viri, quem in vivis esset, summe venerabilis, Nicolai Bay Lund, isque vobis probatus est. Nunc alterum mitto, Erasmus Lund, aetate inferiorem, ingenio et industria ei parem. Natus est a. d. V Id. Januar. a. 1827 in parochia diœcesis Ripensis Brande, ubi pater oraculorum divinorum tunc fuit interpres. Qui quem postea vocatus esset ad sacra curanda¹⁾ in parochia Østertørslev prope Randrusiam, filios suos deinceps in disciplinam scholae nostrae tradidit. Erasmus quidem quinquennio, quo apud nos litteris studuit, eos²⁾ progressus fecit, ut permagnam exspectationem parentium et praeceptorum non modo sustineret, sed etiam vinceret. Est enim memoria acri et tenaci, ingenio subacto³⁾ et acuto; neque unquam defecit singularis assiduitas atque diligentia. Quamquam et plura et majora sunt, quibus in eo delector: ingenua veri videndi cupiditas, sincerum honestatis studium, nativus venusti pulchrique sensus; accedit summa puri et incorrupti animi modestia. Quibus virtutibus mihi ceterisque magistris suis ita placuit, ut omnibus semper esset gratissimus. Neque vereor, ne vos secus de eo existimetis; nam recta et accurata scientia morumque integritas facile probantur judicibus prudentibus. Favete igitur adolescentulo omni gratia et benignitate dignissimo, ut vestro auxilio solidae doctrinae copiam quasi mercedem studii atque laboris conse-

quatur et aptus sit aliquando, qui et publica munera gerat et litterarum artiumque progressus adjuvet.

¹⁾ „kaldet til Præst“. ²⁾ = *tantos*. ³⁾ grundig uddannet.

XXVIII.

Testimonium Nicolai Steenstrup.

(Byrger Nicolai Eeg Steenstrup, S. af Pastor J. V. Steenstrup, Sognepræst til Skelund og Visborg, Viborg Stift. F. 18^½/7 1826. Cand. iur. 1850 laud. Cand. polit. 1852 haud. Overretsprokurator (Ærøskøbing). † 4^½ 1909).

P. u. H. Strenuus juvenis, quem per has literas vobis commendo, Birgerus Nicolaus Eeg Steenstrup, natus est a. d. XV Cal. Aug. a. 1826 patremque habuit virum summe venerabilem Johannem Vogelium Steenstrup, sacrorum ministrum in parochiis Skelund et Visborg, quae sunt in diœcesi Viburgensi. Pueritiae annos vixdum egressus, tabernario¹⁾ cuidam in disciplinam est traditus, apud quem artis tirocinium faceret. Sed haec venditandi occupatio parum satisfecit ingenio discendi cupido. Itaque vitae consilio mutato ad Musas se contulit, a quibus animus nunquam fuerat aversus; annoque 1842 in scholam Randrusiensem receptus, per hoc quadriennium eo studio in optimas litteras incubuit, ut nunc ex nostra disciplina in academiam vestram migranti honorificentissimum testimonium tribuere oporteat. Neque tantum a diligentia et assiduitate haec commendatio ei profecta est, sed etiam ab ingenii acumine atque sollertia. Accedit, quod moribus est sanctis et incorruptis laudeque modestiae et verecundiae dignissimus. Quae quum ita sint, optimis omnibus eum prosequimur.

¹⁾ *tabernarius*, Kræmmer; Købmand, som handler i (fra) Bod; han havde været i Købmandslære (*tirocinium faceret*).

XXIX.

Testimonium Ludovici With.

(Ludvig With, Broder til C. E. With (xvi). F. 10^½/1 1829. Cand. iur. 1853 laud. Overretsassessor. † 22^½/4 1880).

P. u. H. Adolescentulus, quem cum his literis ad vos mitto, Ludovicus With, natus est a. d. IV Id. Januar. a. 1829 patre illustrissimo Caspero Petro With, regi a consiliis justitiae, judice pagorum Bjerre et Hatting, qui sunt in diœcesi Ripensi. Nomen ejus relatum est in album¹⁾ scholae Randrusiensis mense

Octobri a. 1839. Nunc, cursu scholastico emenso, postquam bonum ingenium ita doctrina excoluit, ut et scientia et judicandi facultate aequa postulantibus omnino satisfacere posse videatur, ad vos proficiscentem optimis votis prosequimur, rogamusque, ut eum, bene acceptum, vestra institutione erudire vestroque consilio sublevare velitis. Ipsum adversus merita vestra non ingratum fore, certo scio; nam apertus et simplex est, probus et tractabilis, gnarus et strenuus.

1) Navneliste, Matrikel.

XXX.

Testimonium Sophi Boesen.

(Sophus Christian Boesen, S. af Pastor C. U. Boesen, Sognepræst til Knebel og Roelse, Aarhus Stift. F. 15/3 1828. Cand. phil. † 13/6 1848).

P. u. H. Qui has literas ad vos perferet, Sophus Christianus Boesen, natus est Idibus Martiis a. 1828 patre summe venerabili Carolo Udalrico¹⁾ Boesen, qui sacrorum minister est in parochiis diœcesis Arhusiensis Knebel et Roelse. Litterarum initiis domi perceptis, a. 1843 discipulis scholae Randrusiensis est adscriptus. Triennio autem, quo inter eos versatus est, non vulgarem probavit ingenii celeritatem, bonam memoriam, judicium limatum²⁾ et politum, naturalem sermonis facilitatem et elegantiam, eosque³⁾ fecit progressus, ut nunc dignus videatur, qui ex nostra disciplina dimissus ad altioria studia colenda in vestram academiam abeat. Quodsi naturae dotibus modeste confisus, ingenium ea, qua par est, industria alere voluerit, sperare licet fore, ut vir aliquando vel litteris vel reipublicae utilissimus esse possit. Quam spem ut impleat, faxit Deus, omnium rerum moderator!

1) Ulrik. 2) egl. affilet; afsleben, dannet (*Plin. Ep.* I, 20, 21. *Hor. Sat.* I, 10, 65 mods. *rudis.*) 3) = et tantos.

1847.

XXXI.

Testimonium Nicolai Bruun.

(Niels Bruun, S. af Pastor B. Bruun, Sognepræst til Bjerregrov, Aalum og Thanum [Taanum], Viborg Stift. F. 11/6 1830. Cand. theol. 1851 laud. † 3/7 1852).

P. u. H. Offert se vobis, ut in numerum civium vestrorum adsciscatur, adolescens frugi, Nicolaus Bruun. Natus est a.

d. III Id. Jun. a. 1830, patremque habuit virum summe venerabilem Bertellum Bruun, sacrorum ministrum in parochiis Bjerregrav, Aalum, Thanum, quae sunt in diœcesi Viburgensi; a quo mense Aprili a. 1840 huic literarum ludo commissus est eruditendus. Quum ingenium ejus ad optimas artes satis habile esset, neque desideraretur industria, semper inter discipulos bonae spei est numeratus. Nunc autem post septem annos et dimidium studiis scholasticis dicatos, confidimus, eum vobis suos in literis progressus explorantibus satisfacturum et postea bonum fructum ex institutione vestra capturum esse. In moribus quidem nihil est ab honestate et virtute alienum.

1848.

XXXII.

Testimonium Thomae Steinthal.

(Thomas Frederik Westenholz Steinthal, S. af Proprietær M. Steinthal, Kyø, Aalborg Stift. F. 1³/1 1831. Cand. iur. 1856 laud. Overretsprokurator).

P. u. H. Thomas Fredericus Westenholz Steinthal, natus Idibus Januariis a. 1831, ante hos octo annos atque dimidium in scholam Randrusiensem deductus est a patre, Martino Steinthal, viro honestissimo, possessore praedii Kyø in vicinia oppidi Nibe; nunc, decursis hujus scholæ spatiis, in vestram academiam mittitur, ut ad altiora studia accedat, quibus maturus esse videtur. Adolescens est summa spe et animi et ingenii praeditus, judicio pariter ac memoria valens, haud vulgari recti pulchrique sensu ornatus, morum suavitate et lepore placens. Merito igitur favori vestro, Professores amplissimi! majorem in modum eum commendamus, ut vestra ope adjutus faciliores atque expeditiores in litteris progressus faciat doctrinamque sibi comparet reipublicae olim profuturam.

XXXIII.

Testimonium Wolfii.

(Daniel Höffding Wulff, S. af Provst H. Wulff, Sognepræst til Levring og Hørup, Aarhus Stift. F. 1²/5 1829. Cand. philol. 1856 laud. Overlærer (ved Aalborg Katedralskole). † 18/9 1900. — Biogr. Lex. XIX, 238 f. Rønne Progr. 1906, S. 138).

P. u. H. Per has litteras magnopere, ut par est, vobis commendo optimum adolescentem, mihi omnibusque præcep- oribus suis gratissimum, Danielum Höffding Wulff. Natus

est a. d. IV Id. Majas a. 1829 patre summe venerabili Henrico Wulff, qui hoc tempore Praepositi munus gerens oraculorum divinorum interpres est in parochiis dioecesis Arhusiensis Levring et Hørup. A quo quum mense Aprili a. 1845 scholae nostrae traditus esset, discipulum nacti sumus et iis¹⁾ animi dotibus praeditum et ea¹⁾ domestica institutione informatum, ut aequa postulantibus omnino satisfaceret. Neque postea defecit acre discendi studium, laudabilis assiduitas, attenta cogitatio²⁾; quo factum est, ut lucida scientia rectoque ingenii cultu optimum quemque condiscipulorum vel aequaret vel superaret. Sed non modo docilitate benevolentiam nostram sibi conciliavit et servavit, verum etiam morum probitate et facilitate et modestia, quibus virtutibus laetos suos in litteris progressus digne ornavit. Quae cum ita sint, licet sperare, eum, si porro perrexerit pari industria in optimis disciplinis atque artibus versari, patriae aliquando usui et ornamento esse futurum. Quod faxit Deus, omnium rerum moderator!

1) *iis—ea = talibus (tantis) — tali.* 2) anspændt (opmærksom) Eftertanke.

XXXIV.

Testimonium Claudii Vadum.

(Claus Vadum, S. af Pastor J. H. Vadum, Sognepræst til Galten og Vissing, Aarhus Stift. F. 22/1 1830. Cand. theol. 1854 laud. Sognepræst. † 19/4 1872).

P. u. H. Dimittimus e disciplina Randrusiensi, ut posthac in vestra academia optimas artes colat, hominem adolescentem, qui semper in deliciis nobis fuit, Claudium Vadum. Natus est a. d. XI Cal. Febr. a. 1830 patremque habet virum summe venerabilem Ivarum Vadum, sacrorum ministrum in parochiis Galthen et Vissing, quae sunt in dioecesi Arhusiensi. A. 1842 discipulis scholae nostrae adscriptus, sexennio, quo apud nos litterarum studiis vacavit, laudabilem probavit cognitionis et scientiae amorem plurimaque signa dedit ingenii alacris atque vividi, judicii limati¹⁾ atque politi, animi elegantiae et pulchritudinis gustu imbuti. Apparuit naturae bonitas etiam in moribus emendatis et suavibus, quibus praeceptorum animos mire sibi devinxit. Scholae igitur nostrae valedicentem optimis votis prosequimur vobisque religiose commendamus.

1) xxx, 2.

XXXV.

Testimonium Balthasari Isaacsen.

(Balthasar Isaacsen, S. af Købmand M. Isaacsen, Randers. F. 15/5 1829. Cand. iur. 1855 haud. Overretssagfører. Herredsskriver (Vejle). † 29/7 1889).

P. u. H. Qui has litteras ad vos perferet, Balthasarus Isaacsen, filius est viri honestissimi, Michaelis Isaacsen, mercatoris Randrusiensis. Natus est Idibus Majis a. 1829; nomen ejus in album¹⁾ scholae Randrusensis relatum mense Septembri a. 1838. Nunc post integrum decennium in nostra disciplina consumptum, quum satis firma ac solida scientiae fundamenta jecisse videatur, in academiam Hauniensem migranti optime precamur, vosque, Professores amplissimi et doctissimi! rogamus, ut juvenem non promptissimo ingenio praeditum sibique parum confidentem benigne excipiatis, comitate et humanitate firmetis omnique modo sublevetis. Ita speramus fore, ut vestra lenitate erectus porro artes studiaque prospere colat eoque aliquando perveniat, ut publica munera digne capessere et recte sustinere possit. Nostrae quidem disciplinae alumnus et singulari industria atque assiduitate et summa morum probitate atque integritate laudem semper meruit omniumque praeceptorum benevolentiam collegit.

¹⁾ XXIX, 1.

XXXVI.

Testimonium Christiani Baggesen.

(Fritz Andreas Johan Christian Baggesen, S. af Pastor N. R. Baggesen, Sognepræst til Vivild og Vejlby, Aarhus Stift. F. 8/8 1827).

P. u. H. Quod felix faustumque sit! mittitur ad vos, ut in numerum civium vestrorum adsciscatur, Fredericus Andreas Johannes Christianus Baggesen, natus a. d. V Non. Martias a. 1827 patre summe venerabili Nicolao Erasmo Baggesen, qui sacrorum antistes est in parochiis diœcesis Arhusiensis Vivild et Vejlby. Primis litteris domi imbutus, quum publici ludi disciplinae committendus videretur, a. 1841 alumnus scholae cathedralis Arhusiensis est adscriptus, sed post biennium Randriam missus, ut optima studia apud nos persequeretur. Nunc cursum scholasticum emensus, eos in litteris fecit progressus, ut ex vestra institutione subtiliore bonum fructum capere posse

videatur. Quodsi vobis probatus fuerit, et ego gaudabo et ceteri, qui eum docuerunt et erudiverunt.

1849.

XXXVII.

Testimonium Chr. Frederici Wulff.

(Christian Frederik Wulff, S. af Kammeraad J. Wulff, Østergaard, Viborg Stift. F. ^{31/5} 1832. Cand. theol. 1857 laud. Skolebestyrer, Sognepræst. † ^{12/10} 1888).

P. u. H. Inter eos discipulos, quos hoc anno ad vos mittendos censuimus, non infimum locum tenet Chr. Fr. Wulff. Natus est pridie Cal. Jun. a. 1832 patremque habet virum illusterrissimum Josephum Wulff, consiliarium camerae et praedii rustici Oestergaard, quod est in diœcesi Viburgensi, possessorem. Litterarum initiosis domi perceptis, mense Aprili a. 1846 ludo nostro est adscriptus. Ingenio praeditus est docili et ad optimas artes apto; quare quamquam et valetudo minus commoda et animi mollitia quaedam et inconstantia assiduis litterarum studiis nonnihil officit, tamen satis laudabiliter progressus est. Rogo vos igitur, Professores amplissimi et doctissimi, ut adolescentem mihi percarum civitate académiae Hauniensis donare eaque donatum institutione vestra erudire, admonitionibus regere, benignitate levare velitis.

XXXVIII.

Testimonium Cl. Georgii Müller.

(Clemens Jørgen Müller, S. af cand. phil. R. Müller, Førstelærer, Mariager. F. ^{30/7} 1830. Stud. theol. † Maj 1864).

P. u. H. Qui has litteras ad vos perferet, Clemens Georgius Müller, patrem habet virum honestissimum Erasmus Müller, ludi magistrum primarium¹⁾ in oppido Mariager. Natus est a. d. III Cal. Aug. a. 1830, in scholam Randrusiensem receptus mense Octobri a. 1843. Ingenio est ad discendum apto, memoria bona, verborum tamen quam rerum tenaciore, laudabili industria et assiduitate. Quibus virtutibus instructus quum per sex annos scholastica institutione et exercitatione ita eruditus sit, ut nunc ea satis tenere videatur, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet, ad vos mittitur, ut in academia vestra animum doctrina subtiliore excolat. Nos quidem fausta quaeque ei appreciamur.

¹⁾ Førstelærer.

XXXIX.

Testimonium Joh. Chr. J. F. Schönheyder de Deurs.

(Johan Christian Jens Frederik Schönheyder van Deurs, S. af Pastor C. F. Schönheyder, Randers, adopteret af Onkelen, Proprietær van Deurs, Bøstrup, Sjælland. F. $\frac{26}{4}$ 1832. Cand. iur. 1856 laud. Landstingssekretær. † $\frac{26}{11}$ 1876).

P. u. H. Saepius fit, ut ingenium magnis quibusdam sed solitariis¹⁾ facultatibus exsplendescat, rarius, ut omnium facultatum quasi aequilibrio insigne sit. Ejusmodi ingenio praeditum et natura ad omnia satis aptum judico juvenem, quem cum his litteris ad vos mitto, Johannem Christianum Janum Fredericum Schönheyder de²⁾ Deurs, de quo etiam meliorem spem concepi, quod ab ineunte aetate justa et conveniens disciplina accessit singulaeque facultates conformatioне doctrinae aequaliter et feliciter excultae sunt. Quodsi in posterum quoque naturae bonitas diligenti cura adjuta fuerit, vir erit vel litteris vel reipublicae utilissimus. — Natus est a. d. VI Cal. Majas a. 1832 patre summe venerabili Chr. Fr. Schönheyder, qui in hoc oppido sacrorum fuit minister. Quo mortuo, abhinc quinquennium adoptatus est ab avunculo Hermanno de Deurs, viro honestissimo, cuius nomine nunc vocatur. Per octo annos scholam Randrusiensem frequentavit, neque unquam magnam, quam ab initio commoverat, spem sui praeceptoribus visus est decepisse; sed memoria, intelligentia, judicio, denique sensu honesti ac decori³⁾ valens, officia boni discipuli facile explevit. Accedit ad laudem ejus, quod, quamvis strenue ac laudabiliter ad scholastica et umbratica⁴⁾ studia incubuerit, tamen neque earum literarum incuriosus fuit, in quibus libera et ingenua animi delectatio unice quaeritur, neque elegantiores artes neglexit, musicam dico et picturam et quae cetera sunt politioris humanitatis vitaeque cultioris condimenta.

Quae quum ita sint, juvenem egregium et liberaliter instructum religiose et majorem in modum vobis commendabo.

¹⁾ enestaaende (ɔ: som staar alene, uden Forbindelse med andre). Der menes: en glimrende, men ensidig Begavelse. ²⁾ = van. ³⁾ af *decorus*. ⁴⁾ som hører til (er opvokset i) Hjemmets Skygge, i Studereværelset; sml. XVIII, 1; „Arbejdet paa Skolen og i Hjemmet (i Studereværelset)“.

XL.

Testimonium Car. Arn. Edv. Jessen.

(Carl [Karl] Arnold Edvin Jessen, S. af Kammerjunker (senere Kammerherre), Overførster N. J. Jessen, Randers. F. 1/1 1833. Cand. mag. 1857. Dr. phil. 1862. Sprogforsker. — Salmonsens Konversationsleks. IX, 889 f.; Biogr. Lex. VIII, 470 f.; Kraks Blaa Bog 1914, S. 284, 1).

P. u. H. Offert se vobis, ut in numerum civium vestrorum adsciscatur, Carolus Arnoldus Edvinus Jessen, natus in hoc oppido Calendis Jan. a. 1833, annoque 1843 discipulis scholae Randrusiensis adscriptus. Patrem habet virum nobilissimum, cubicularii regii titulo ornatum¹⁾, ordinis Danebrogici equitem, Nicolaum Jacobum Jessen, qui est inter superiores saltuum publicorum praefectos²⁾. Ipse adolescentulus est non mediocri ingenio praeditus et cognitionis ac scientiae satis cupidus. Quodsi singulis, quae in ludis litterarum aequabiliter colenda sunt, disciplinis pari studio operam dare voluisse et, praceptorum admonitionibus modeste parens, ea potissimum discere et percipere et memoriae mandare, quae in juventute scholastica maxime requiruntur, nescio an magnam, quam puer fecerat, exspectationem sui non modo expleturus, sed superatus fuerit. Nunc, quamvis interdum languerit industria ejus studiaque fluctuantia quodammodo fuerint et dissoluta, hoc tamen vere dicere possum, eum et initia plurimarum artium graviorum probe cognovisse et varia librorum utilium atque jucundorum lectione animum salubriter excoluisse sensumque pulchri ac venusti laudabiliter exacuisse. Neque dubito, quin, civitate academiae vestrae donatus, litterarum studia non ad quaestum, ut vulgus, sed ad veram mentis conformatiōnē relaturus et, puerili quadam confidentia progressu aetatis deposita, moribus quoque se vobis probatus sit. Quod ut ex sententia eveniat, faxit Deus O. M.

¹⁾ Kammerjunker (Kammerherre); ²⁾ Overførster.

XLI.

Testimonium Fred. Joh. Petri Folsach.

(Hans Frederik Johannes Peter Folsach, S. af Overkrigskommissær P. Chr. Folsach, Fuglsø, Aarhus Stift. F. 27/4 [28/4] 1830. Godsejer; Kammerjunker, Hofjægermester. † 3/10 1901).

P. u. H. Bonus adolescentis, quem per has litteras vobis commendo, Fredericus Johannes Petrus Folsach, natus est a. d. V Cal. Majas a. 1830 patremque habet virum illustrissimum Petrum Folsach, commissarium belli ordinis superioris¹⁾, possessorem praedii Fuglsøe in diœcesi Arhusiensi. Mense Octobri a. 1844 in scholam Randrusiensem acceptus est. Nunc, quum ad eam aetatem pervenerit, ut magis eum deceat inter academiae vestrae cives quam inter nostrae scholae alumnos versari, eamque optimarum litterarum scientiam consecutus sit, ut in examine aequa postulantibus satisfacere posse videatur, desiderio ejus hinc migrandi cedendum esse censuimus. Dimitimus eum igitur a nobis precantes, ut fortuna in omnibus rebus optatis¹⁾ ipsius respondeat.

¹⁾ Overkrigskommissær. ²⁾ Subst.

XLII.

Testimonium Severini Eschildsen.

(Søren Eschildsen, S. af Pastor E. Eschildsen, Sognepræst til Alrø, Aarhus Stift. F. ^{15/11} 1829. Stud. theol. † ^{12/10} 1851).

P. u. H. Per has litteras magnopere vobis commendo frugi adolescentem, mihi omnibusque praeceptoribus carissimum, Severinum Eschildsen. Natus est a. d. XVII Cal. Dec. a. 1829 patre summe venerabili Eskild Eschildsen, qui sacrorum minister fuit in insula Alrø. Nomen ejus in album scholae Randruensis relatum Calendis Octobribus a. 1839. Nunc, quum eos in litteris fecerit progressus, ut et in examine vobis probari et postea bonum fructum ex institutione vestra capere posse videatur, ad vos proficiscentem optimis omnibus prosequimur. Nam et ingenio est ab artibus liberalibus neutiquam abhorrente et, postquam aetas magis adolevit, omnes industriae nervos laudabiliter contendit. Accedit, quod mores ejus sunt grati et modesti, in quibus naturalis inest, non fucatus nitor. Benigne igitur accipite adolescentem favore vestro dignissimum, caste et verecunde ad Musarum sacra accendentem.

1850.

XLIII.

Testimonium Marci A. S. Lund.

(Marcus Ancher Secher Lund, Br. t. Chr. Ehr. Lund (XXIV). F. ^{28/11} 1832. Cand. theol. 1856 laud. Sognepræst. † ^{23/4} 1913).

P. u. H. Quod bonum, faustum felixque sit, mittimus ad vos, ut in numerum civium vestrorum adsciscatur, adolescentem optimae spei, Marcum Ancher Secher Lund. Natus est a. d. IV Cal. Decembr. a. 1832 patre summe venerabili Nicolao Bay Lund, qui tum in parochia diœcesis Ripensis Brande sacrorum fuit minister. Anno 1845 huic litterarum ludo commissus est erudiendus. — Nunc autem, firmis ac solidis scientiae fundamentis jactis, subtiliori institutioni maturus videtur et dignus, qui ad altiora studia admittatur. Adolescentis est vividi ingenii, sensu recti et pulchri praeditus, memoria valens, sollertia et acumine praestans, litterarum amore a pueritia incensus. Quodsi ad sapientiorum disciplinam modeste se accommodare et consiliis eorum pie parere semper voluerit, sperare licet fore, ut natura eximia adjutus olim et de litteris et de republica optime merere possit.

XLIV.

Testimonium Henrici Nicolai Buhl.

(Henrik Nicolai Buhl, S. af Pastor L. P. Buhl, Sognepræst til Karlby og Voldby, Aarhus Stift. F. ^{24/6} 1837. Højskoleforstander. Arkivar. † ^{16/12} 1912).

P. u. H. Adolescentis modestus et bonaे frugi¹⁾, quem per has litteras vobis commendo, Henricus Nicolaus Buhl, natus est a. d. VIII Cal. Julias a. 1832 patremque habet virum summe venerabilem Laurentium Petrum Buhl, sacrorum ministrum in parochiis Carlby et Voldby, quae in diœcesi Arhusiensi sunt. Literarum initiosis domi perceptis, a. 1844 discipulis scholae Randru-siensis est adscriptus. Sexennio, per quod disciplina nostra usus est, ingenium probavit docile, sanum judicium, satis bonam memoriam, laudabilem industriam, moribusque sanctis et incorruptis praeceptorum animos mire sibi devinxit. Quae quum ita sint, ad vos migrantem optimis votis prosequimur.

¹⁾ b. f. = *frugi*, brav.

XLV.

Testimonium Gustavi Adolphi Honnens.

(Gustav Adolph Honnens, S. af Major ved 6. Dragonregiment [siden Generalmajor] J. J. v. Honnens. F. ^{17/11} [16/11] 1832. Cand. iur. 1857 laud. By- og Herreds foged. † ^{28/6} 1906).

P. u. H. Adolescentulus, qui has literas ad vos perferet, Gustavus Adolphus Honnens, natus est a. d. XV Cal.

Decemb. a. 1832 patremque habet virum illustrissimum Johannem Johanniden¹⁾ Honnens, ordinis Danebrogici equitem, subprefectum sextae dimacharum chiliadis²⁾). Nomen ejus relatum est in album scholae Randrusiensis mense Octobri a. 1842. Nunc quum ex pueris excesserit et scholasticam institutionem cum academica commutare desideret, in universitatem Hauniensem migrantem vestrae curae commendamus. Fatemur, eum memoria magis valere quam judicio, rerumque notitias levius interdum attingere et primis tantum labris gustare³⁾), speramus autem fore, ut progressu aetatis levitas illa abeat, ingenique acies acuatur. Ceterum se nobis probavit non minus nativa animi bonitate, quam industria satis laudabili.

¹⁾ ♂: John Johnsen. ²⁾ Major ved 6. Dragonregiment; *dimacharum chilias = legio equestris* (VIII), *legio equitum* (XXII). ³⁾ Cic. de nat. deor. I, 8, 20; ♂: gøre sig overfladisk bekendt med.

1851.

XLVI.

Testimonium Caroli Fr. Buhl.

(Carl Frederik Buhl, Broder til H. N. Buhl (XLIV). F. 10/7 1834. Cand. med. 1860 haud II. Læge. † 14/5 1878).

P. u. H. Abhinc septem annos inter discipulos scholae Randrusiensis receptus est Carolus Fredericus Buhl, natus a. d. VI Id. Jul. a. 1834, filius viri summe venerabilis Laurentii Petri Buhl, qui sacrorum minister est in parochiis diœcesis Arhusiensis Carlby et Voldby. Ingenio praeditus est haud absurdо¹⁾; quod nisi aciem ejus²⁾ socordia hebescere quodammodo passus esset, videtur multum et celeriter in optimis studiis proficere potuisse. Nunc, quamvis languerit industria, spero tamen, eum vobis suos in literis progressus explorantibus ita satisfactum esse, ut dignus judicetur, quem civitate universitatis donetis. Ad mores quod attinet, pueri quidem levitas interdum vituperanda fuit; sed confido, eum animo esse bono et probo. Quare optime ei precor vobisque religiose eum commendando.

¹⁾ „Han er et godt Hoved“ (XXIII, 2). ²⁾ ♂: *ingenii*.

XLVII.

Testimonium Laurentii Meyer.

(Lauritz Meyer, S. af den i Slaget ved Idsted faldne Ritmester E. H. A. Meyer. F. 22/7 1833. Cand. polit. 1860 laud. † (St. Thomas) 10/10 1867).

P. u. H. Dimittimus e disciplina Randrusensi, ut ex vestra institutione ubiores fructus capiat, optimum adolescentem, mihi omnibusque praceptoribus carissimum, Laurentium Meyer. Natus est a. d. XI Cal. Aug. a. 1833 patremque habuit virum illustrissimum, ordinis Danebrogici equitem, Augustum Meyer, qui in proelio Idstediensi turmae equitum praefectus gloriosam pro patria mortem oppetivit, filio autem pium desiderium sui reliquit. Mense Octobri a. 1843 huic literarum ludo commissus est erudiendus. Ingenium probavit bonum et industriam singularem atque eximiam, raraque morum sanctitate jure suo¹⁾ laudem sibi vindicavit discipuli honestissimi. Itaque vobis, Professores amplissimi et doctissimi! majorem in modum eum commendando, speroque fore, ut ipse per se favore benevolentiaque vestra dignissimus videatur.

¹⁾ = *jure optimo*.

XLVIII.

Testimonium Severini W. Køster.

(Søren Winkel Køster, S. af Apoteker S. L. Køster, borgerlig Raadmand i Randers. F. 24/12 1833. Cand. med. 1858 laud. Læge. † 12/4 1909).

P. u. H. Qui has litteras ad vos perficeret, Severinus Winkel Køster, natus Randrusiae a. d. IX Cal. Jan. a. 1834, patrem habet virum honestissimum et florentissimum Schack Lyneborg Køster pharmacopolem, qui a civibus suis creatus munere decurionis in hoc oppido fungitur¹⁾. Nomen ejus in album scholae Randrusensis relatum est mense Octobri a. 1843. Se nobis probavit ingenio docili et ad ingenuas artes apto, laudabili industria, moribus honestis, eosque in liberalibus studiis et doctrinis progressus fecit, ut semper inter discipulos magnae spei numeraretur. Quae quum ita sint, non dubito fore, ut vestra quoque approbatione dignus judicetur et bonum fructum ex institutione vestra capiat.

¹⁾ Han er Byraadsmedlem („borgerlig Raadmand“) i Randers.

XLIX.

Testimonium Jacobi Elisii Køster.

(Jacob Elisius Køster, Broder til foregaende. F. 4/12 1834. Cand. jur. 1860 haud. Amtsraadssekretær; Forligskommissær).

P. u. H. Qui has litteras ad vos perferet, Jacobus Eli-sius Køster, natus Randrusiae pridie Non. Dec. a. 1834 patrem habet virum honestissimum et florentissimum Schack Lyneborg Køster, pharmacopolem, qui a civibus suis creatus munere decurionis in hoc oppido fungitur. Nomen ejus in album scholae Randrusiensis relatum est mense Octobri a. 1843. A natura haud vulgaribus animi dotibus ornatus, bonum ingenium religiose excoluit laudemque semper meruit liberali scientiae studio et magna assiduitate, qua in litteris versatus est; morum autem candore et suavitate omnium praceptorum animos mire sibi devinxit. Quare, quum firmis ac solidis doctrinae fundamentis jactis ad altiora studia accedat, ad vos proficiscentem optimis omnibus prosequimur et amori fideique vestrae magnopere commendamus.

L.

Testimonium Petri Severini Nyeborg.

(Peter Severin Nyeborg, S. af Købmand, Konsul J. Nyeborg, Thisted. F. $\frac{9}{9}$ 1834. Cand. theol. 1856 laud. Adjunkt. Sognepræst. $\dagger \frac{9}{5}$ 1906. Rønne Progr. 1906, S. 97).

P. u. H. Probus adolescens, quem per has literas vobis commendo, Petrus Severinus Nyeborg, patrem habet virum honestissimum Janum Nyeborg, mercatorem in oppido Thisted et ibidem procuratorem mercaturaे Borussorum¹⁾. Natus est a. d. V Id. Sept. a. 1834; anno autem 1847 magistris scholae Randrusiensis in disciplinam est traditus, qua disciplina ita bene et diligenter usus est, ut nunc dignissimus videatur, qui ad altiora studia colenda in academiam discedat. Docile et prudens semper probavit ingenium summamque modestiam et verecundiam; quare et bonam spem sui ostendit et mihi ceterisque praecéptoribus suis est carissimus. Oro igitur, ut ipsi studiisque ejus faveatis.

¹⁾ preussisk Konsul.

LI.

Testimonium Jani Brask.

(Jens Brask, S. af Prokurator R. Brask, Mariager. F. $\frac{21}{10}$ 1832. Cand. iur. 1858 haud. Prokurator. $\dagger \frac{9}{2}$ 1898).

P. u. H. Qui has litteras proferet, Janus Brask, natus est a. d. XII Cal. Nov. a. 1832 patre honestissimo Erasmo Brask, qui causarum actor est in oppido Mariager, annoque 1844 ludo

nostro est adscriptus. Septennio, quo inter nos versatus est, intelligentiam haud vulgarem probavit, bonam memoriam, judicium limatum et politum, eosque in literis fecit progressus, ut nunc dignus videatur, qui ex hac disciplina in academiam vestram mittatur. Quodsi nimio quodam animum oblectandi vel relaxandi studio deposito, gravioribus curis se penitus dedere voluerit, non dubito, quin vir evasurus sit¹⁾) omni vita excultus atque expolitus reique publicae utilissimus. Quod faxit Deus, omnium rerum moderator!

¹⁾ „vil udvikle sig til“.

LII.

Testimonium Jacobi Christophori Heerfordt.

(Jacob Christopher Heerfordt, S. af Pastor C. F. Heerfordt, Sognepræst til Selde og Aasted, Viborg Stift. F. 17/6 1833. Cand. theol. 1856 laud. † 11/2 1860).

P. u. H. Inter eos discipulos, quos hoc anno ad vos mittendos censuimus, sunt gemini inter se quum forma tum moribus simillimi neque ingenii dotibus et cultu multum differentes, nati a. d. XV Cal. Jul. a. 1833 patre summe venerabili Christiano Frederico Heerfordt, qui sacrorum minister fuit in parochiis diœcesis Viburgensis Selde et Aasted. Alterum eorum, Jacobum Christophorum Heerfordt, per has literas vobis commendo. Non celeritate ille quidem ingenii, sed sanitate judicii et industria satis assidua minime spernendos in literis fecit progressus; omninoque juvenis est prudens et honestus. Quare nunc post octo annos apud nos actos, quum subtiliori institutioni, qualis vestra est, maturus esse videatur, hinc discedentem optimis omnibus prosequimur et rogamus, ut eum bene accipere et humanitate vestra levare velitis.

LIII.

Testimonium Christiani Asp Heerfordt.

(Christian Asp Heerfordt, Tvillingbroder til foregaaende. Cand. med. 1858 haud I. Læge. † 12/8 1864).

P. u. H. Inter eos discipulos, quos hoc anno ad vos mittendos censuimus, sunt gemini inter se quum forma tum moribus simillimi neque ingenii dotibus et cultu multum differentes, nati a. d. XV Cal. Jul. a. 1833 patre summe venerabili Christiano Frederico Heerfordt, qui sacrorum minister fuit in parochiis diœcesis Viburgensis Selde et Aasted. Alterum eorum, Christianum

Asp Heerfordt, per has literas vobis commendo. Qui cum mense Octobri a. 1843 magistris scholae Randrusiensis in disciplinam traditus esset, per octo annos iis literis, quibus aetas puerilis optime instituitur, ita operam dedit, ut inter discipulos satis bonae spei numeraretur; nam ingenio est non acerrimo illo quidem nec promptissimo, sed tamen ad doctrinae studia habili, et postquam aetas magis adolevit, industriam quodammodo acuit. Accedit, quod juvenis est frugi et honestus. Quare dignus videtur, qui instituto itinere perget incepturnque cursum literarium apud vos conficiat.

LIV.

Testimonium Nicolai Rudolphi Bay.

(Niels Rudolph Bay, S. af kgl. Kammermusikus, Professor D. W. R. Bay, Kantor ved Holmens Kirke, Kbhn. F. ¹⁹/7 1834. Cand. med. 1861 haud II. Læge. † ^{18/11} 1889).

P. u. H. Offert se vobis, ut in numerum civium vestrorum adsciscatur, Nicolaus Rudolphus Bay, filius Davidis Wilhelmi Rudolphi Bay, viri honestissimi, professorio titulo et honore ornati, qui *symphoniacus* est aulicus et in aede clas- siariorum cantor¹⁾. Natus est a. d. XIV Cal. Aug. a. 1834 et in scholam Randrusiensem receptus mense Octobri a. 1843. Est adolescens satis bono ingenio praeditus; quare, quamquam le- vitas quaedam et inconstantia assiduis literarum studiis nimis offecit, tamen ita in iis processit, ut in examine aequa postulantibus satisfacere posse videatur; speramusque fore, ut aetate progrediente non modo temeritatem et petulantiam puerilem abjiciat, sed a severitate laborum minus abhorreat animumque diligentius excolat. Quod ut fiat, vestræ curae fideique eum commendamus.

¹⁾ „Professor, kgl. Kammermusikus, Kantor ved Holmens Kirke“ (1791—1856; Biogr. Lex. I, 611 f.). Nævnte „*symphoniacus aulicus*“ har bl. a. komponeret Melodien til „Vift stolt paa Kodans Bølge“.

III.

(Rektor O. Worm, Horsens).

1789.

LV.

Testimonium Olai Lassenii.

(Ole (Olluf) Lassen, S. af „Skoleholder“ i Herning Lars (Lars) Pedersen Sivibech og Hustru Karen Nielsdatter; døbt 8/3 1766. Student Horsens 1789. Tog siden teologisk Attestats. Efter et ret bevæget Liv endte han i en anset Stilling som kgl. Fyrinspektør paa Gedser. Han var Farfaders Broder til Overlæge ved Amts- og Bysygehuset i Randers Otto V. Lassen, der har overladt Testimoniet til Udgivelse).

Nobilissimo et amplissimo Academiae Hafniensis Senatui salutem officiosissimam¹⁾.

Hornam coloniam nostram deducit²⁾), quem coram videtis, Olaus Lassen Honestissimus et optimae spei juvenis annum aetatis jam agens quartum et vigesimum; Patrem habet Laurentium Petri, rusticæ pubis³⁾ in vico⁴⁾ Herning, Nomarchiae⁵⁾ Hammerum, sub Ripensi Diœcesi, praceptorum; Matrem Catharinam Nicolai filiam. Scholam hanc anno 1781 frequentare cœpit, cumque per biennium in infimo ordine⁶⁾ praecipienti⁷⁾ diligenter dedisset operam, mediae classis alumnus insertus est⁸⁾; in qua audiendo legendoque ita profecit, ut anno 1785 dignus judicatus sit, qui locum in supremo ordine teneret⁹⁾. Auctus est¹⁰⁾ stipendio 46 Imperialium¹¹⁾, libris industriam munerantibus¹²⁾ nonnullis, et Acoluthi¹³⁾ ad Nosocomii¹⁴⁾ Hothernesiensis aediculam¹⁵⁾ officio.

De hoc nihil tam amanter scribere possumus, quin scribi omnino deberet amantius, id enim absque invidia, et salva aliorum bene merentium laude, testamur¹⁶⁾: maximam semper nos, dum hunc instituimus, voluptatem percepisse et nonnihil solatii ad iniqui laboris taedium minuendum; Si quid enim ex nostra disciplina profecit, id grato prorsus fœnore muneravit¹⁷⁾; qui ex praecipientis ore pependerit¹⁸⁾, singula sibi dicta putaverit, docilique ingenio excepta imis sensibus reposuerit¹⁹⁾, honesta suadenti paruerit, omnis omnino virtutis et honestatis decus et ornamentum cum studiis conjunxerit bonosque in litteris profectus innocentia vitae morumque probitate commendaverit. Qua vitae studiorumque ratione id obtinuit, ut jam jam²⁰⁾ supra vulgus scholasticum sapiat, animumque circumferat²¹⁾ honesto ge-

neroso incoctum²²⁾ ingeniumque variis humanarum artium salibus conditum²³⁾). Qui cum talis sit, prope est, ut dicam eum a nobis tantum non²⁴⁾ reluctantibus²⁵⁾ avelli²⁶⁾; amavi enim hominem tam ardenter, quam nunc impatienter²⁷⁾ relinquo; nisi haberemus, quibus hujus abitum quadantenus consolaremur. Quod ergo Deus ipsi²⁸⁾ bene vortat²⁹⁾! eat! abeat fausto, quo fortuna vocaverit, pede³⁰⁾! habeat secum auspicatissima³¹⁾ salutis omina! Hafniacas Musas, ad quarum aras venerabundus procedit, inveniat propitiias, faciles, liberales! Vosque ingeniiorum judices exactissimi³²⁾! et honestae paupertatis patroni benignissimi! Lassanium meum omni modo curate, fovete; et facite, ut quantum³³⁾ apud vos gratia valeam, ejus commoditatibus experiar.

Scriebbam Hothersnes: VI Calend. Octobris³⁴⁾ 1789.

O. Worm³⁵⁾

Mag. Phil. et Rect. Schol. Hothers.

(L. S.)

